

nè, prout necessarium videtur, non expli-  
cant. Neq; enim nudam tantum numero-  
rum nomenclaturam; sed & variam signi-  
ficationem & dispositionem: characteres  
item, scriptionem & prolationem multi-  
plicem continet. Quid? quod docendi ra-  
tio idonea, eaq; Geometriæ conformis,  
tum in tota arte, tum in quavis illius parte  
hactenus desideratur, cujus specimen in  
explicatione numerationis evidens pro-  
posuimus; unde qui hanc artem magno  
cum fructu docere cupiunt, illustre exem-  
plum capere possunt. Tibi verò, Ioh. Ca-  
role, quem in studijs Philosophiæ, quibus  
nunc incumbis, plurimum proficere, ma-  
ximè cupio, hoc mearum lucubrationum  
opusculum, dedicatum esse volui. Multos  
habuit utraque familia, Rechlingerorum  
& Heinceliorum, & antiqua & nobilissi-  
ma, unde paternum & maternum genus  
ducis, quorum eximia virtus & eruditio  
non tantum in patria, sed & in exteris locis  
inclaruit. Horum vestigia si persequeris,  
magnam olim laudem inde referes. Perse-  
queris autem, si non tantum aliarum ar-  
tium,